


Diuersitatem Aspectus Cometæ in circulo altitudinis aliter quàm superius, inuestigare.

Huius gratia pingatur circulus meridianus, $ABGD$, sub quo dimidius horizon orientalis BED , & medietas eclipticæ AEC . Verus locus Cometæ sit G , uisus autem O , amboq; hæc loca sint in quadrante ZN , à polo horizon-
tis Z . descendente. Polus mundi septentrionalis sit H , circa eum circulus arcticus, & in eius circumferentia punctus K , polum eclipticæ borealem representet, à quo per duo puncta G et O , duo quadrantes magni KL , et KM , incedant ad eclipticam terminati. Erit itaq; L locus uerus Cometæ in ecliptica, M autem locus uisus, atq;



q; idcirco arcus LM , qui est diuersitas aspectus Cometæ in longitudine ex supra memoratis cognoscetur. Is arcus LM , determinat quantitatem anguli GOK . Quare & ipse angulus notus. Ducto insuper arcu HO , & cognito per obseruationem arcu ZO , quæ est distantia uisi loci Cometæ à summitate capitum, itemq; angulo OZH , noto per instrumentum, erit uterq; angulorum ZOH & ZHO , cognitus cum arcu HO , hinc ex triangulo OHK , propter duo latera OH , & HK , cognita cum angulo OHK , quemadmodum in præcedenti angulus HOK , innotescet cum arcu OK , scilicet complemento latitudinis uisæ. Demendo igitur angulum HOK , ex angulo ZOH , relinquetur angulus GOK notus. Erat autem prius angulus GKO , cognitus. Habebit ergo triangulus GOK , duos angulos notos cum latere OK , unde et arcus GO , nō latebit